13

B

IN
FVNERE

CI

1061 V

IN
FVNERE
EMINENTISSIMI PRINCIPIS

ANTONII
BARBERINI
S.R.E. CARDINALIS
CAMERARII &c.

HONORARII TVMVLI
AC FVNEBRIS POMPÆ
Deſcriptio, & Oratio

HABITA

A CAROLO BOVIO EX SOCIETATE IESV

In Templo Domus Profeſſæ eiuſdem Societatis.

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij M. DC.LXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMIS S. R. E. CARDINALIBVS

FRANCISCO ET CAROLO

ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

MAFFOEIO BARBERINIS

CAROLVS BOVIVS SOCIETATIS IESV FELICITATEM.

QVantum, quàmque immortale decus amplissimæ inclytæque Familiæ Barberinæ, titulis, honoribus, meritisque suis ingentibus Antonius vester addiderit, & vos Eminentissimi Cardinales, & Excellentissime Princeps, inter vestra, vt opinor, memoranda reponitis, & inter ea reponendum esse omnes assentiunt. Id vos velut alibi aliàs, ita & in hoc nostræ Societatis Templo testati nunc estis, in quo relictam vobis ab Antonio gloriam augusta honorarij tumuli mole profiteri magnificè voluistis. Par verò erat, vt, quem vos opere tam profusè celebrastis, qui voce illum laudaturus erat, afferret etiam eloquentiæ vim apparatumque non imparem: in argumento præcipuè Antonij, ad quem Tullius exornandum multò plus habuisset virtutum, & laudum, quàm ad suum illum alterum Antonium vituperandum scelerum habuit, ac probrorum. Verùm, cum ex minima nostra Societate delectus ego sim minimus Orato-

rum, conatus ſum deligentium me non fruſtrari conſilium; quod certè aliud eſſe non potuit, quàm vt is de Antonio diceret, qui ſi minus ex arte, qua caret, at certè dicturus eſſet ex animo, quo, niſi eſſe vellet ingratus, erga Principem ſui ſtudioſum debuit abundare. Quòd ſi, quemadmodum cupij præſtare, ſic præſtiti, non ero admodum de aliorum ſenſu, ac ſermone ſolicitus; quibus, vbi artis ſecreta, & quædam veluti myſteria deſiderari videbuntur, non videbor ego certè operam contuliſſe ad meam orationem, meque in eius cultu, ac labore laudandum; ſed Antonij modò res, atque, vt melius dicam, rerum argumenta curſim, leuiterque perſtringere voluiſſe; ex quibus, tanquam ex ſemente à ſapienter æſtimantibus colligi arguendo poſsit, quàm vber ac præſtans in Antonio ſeges fuerit meritorum, ac laudum. Vos verò quicquid in hac laudatione humile fuerit, & exile, veſtris, quæ huic paginæ præfixa ſunt, digniſsimis immortali laude, gloriaque nominibus abunde, cumulatèq; ſupplebitis: in quibus nempe Antonij à me laudati conſanguineis, hæredibuſque affatim ac prolixè congeminant explicantque ſe ſe clariſsima illius decora, heroicæque virtutes. Diù viuite, & valete.

LE-

LECTORI.

REdituri post occasum Solis commune desiderium vicaria benefici sui Principis sidera consolantur. Quòd si rediturus ille non esset, desperato die, Mundo non essent astra solatio. Hinc adeò inconsolabile funus est Antonij Barberini: Sol enim beneficentiæ cum esset, occidit, non redibit. Fleuit verò illum diù, multumque Roma; cumque tantum illi lacrymarum, quantum vix alteri, exequijs toties tanta cum pompa celebratis impenderit, non tamen adhuc satis ipsa fecisse sibi videtur; tam recens perstat adhuc, & acerbus dolor. Vidimus enim in hac Vrbe passim affixis inter Gentilitia Antonij Insignia laruata mortis imaginibus, ipsos Templorum parietes feraliter eruditos ad luctum. Sacras ædes ab odeis audijmus flebili murmure inter Christianæ pietatis officia complorantes. In Vaticana cum primis Principum Apostolorum Basilica, proximo summis Pontificibus honore, funebrem pompam celso instructam pegmate, pulla veste contecto, facibusque plurimis illuminato spectauimus. Et magnificentiore adhuc sumptu, elegantioreque artificio honorarios tumulos excitatos aspeximus in Templis & Sanctissimæ Trinitatis ad Pontem Xystum, & D. Andreæ Apostoli Clericorum Regularium, & in Sacrosancta Deiparæ Exquilina Basilica. Nuper verò augustam Cenotaphij molem, cuius imaginem huius libelli fronti propositam intueris, Eminentissimi Franciscus, & Carolus S. R. E. Cardinales, & Excellentissimus Maffæus Prænestinus Princeps, Antonij hæredes, & consanguinei Barberini, eius erga nos mentem longè amantissimã interpretati, in hoc Societatis nostræ Templo construi voluere, vt suum ipsi dolorem nobiscum scilicet communicarent, quibus Principis tam cari iacturam accidisse norunt meritò peracerbam. Deperdita nimirum est non drachma, sed margarita, immo concha grandibus, pretiosisque vnionibus, hoc est ingentibus meritis, virtutibusque fœcunda. An verò nunc illam quæsituri, in doloris nostri nocte tam multas, crebrasque faces accendimus? Sed illam Deus suo postquam ærario, vti spes est, in Cælo reposuit, nequicquam hominum amor ac studium in terris vltra requirit. Iuuat tamen, ac decet imperatum hoc ab amore vectigal vel Antonij meritis, vel nostro certè pensitare dolori: cuius ne ignari sint exteri, posterique, simulacrum illius aliquod in hisce paginis Antonij laudatricibus, etsi tenui arte, cultuque, at certè studio amoreque in ipsum pluri-

mo conscriptis, spectandum publicè beneuolis animis gratè cupidèque proponimus.

Ipsius verò honorarij tumuli figuram oculis in imagine subiectam, verbis describere superuacaneum otiosumque est. In vtraque summæ molis fronte, priore, ac posteriore, Antonij spectabatur effigies vrnæ imposita stragulo instratæ prædiuite, suas vlnas, laciniasq; ex quadruplici fronte ampliter effundente. Vrnam verò simulacra quatuor artis egregiæ, proceræq; magnitudinis effulciebant. Erant illa Beneficentiæ, Magnanimitatis, Prudentiæ, Pietatis: quæ viuente ab Antonio virtutes mirificè sustentatæ, eidem in eius vrna sustinenda vices, grato nimirum officio, reponebant. Quarum veluti sensum interiecta ipsis in tertio, supremoque pegmatis ordine heroica symbola explicabant. In subiecto huic ordine secundo pictura erat anaglyptum imitata æneum, auro affabrè illuminatum; quæ nonnulla virtutum harum monumenta in spatijs maioribus historicè, in minoribus emblematicè referebat. In ima demum basis frontibus Inscriptiones legebantur, litteris velut extantibus exaratæ. In angulis candelabra proceritatis excelsæ fundantibus, quorum è scapis cerei ingenti numero, ordineque perpulchro dispositi molem tumuli omnem luculentissimè illuminabant, Antonij Gentilitia Insignia, aliaque eiusdem vel trophæa vel symbola cernebantur. Horum verò omnium hæc ipsa, quæ subijciam, argumenta fuere.

BENE-

BENEFICO.

Insigne.

Sol, cum dicto:

PRÆEST, VT PROSIT.

Pictura historica.

Antonius in conferto populi cœtu expressus Magni Galliæ Eleemosynarij munus benefica manu exercens.

Emblema Picturatum.

Fons prænobilis, ac peramplus sua carens anima, hoc est aqua, ad quem mulier inuersâ vrnâ, manibusque in Cælum passis illacrymat.

Inscriptio.

BENEFICENTIAE LVCTVS EST
ANTONII BARBERINI FVNVS.
ILLO EXTINCTO,
QVOT AMISIT VSVS, ET QVANTOS!
VIRTVTEM VESTRAM CONSOLAMINI, PRINCIPES:
NEMO ENIM PRINCEPS, NISI BENEFICVS.
BENEFICENTIÆ VERO DAT SOLATIVM,
QVI NEGAT OTIVM.
RELICTAM AB ANTONIO
VOS INTER VOS DIVIDITE:
QVÆ NEGOTIVM FVIT VNIVS,
MVLTOS POTERIT OCCVPARE.

MAGNANIMO.

Insigne:

Laurus inter fulgura, cum epigraphe
NEC TORRENT, NEC TERRENT.

Pictura historica.

Antonius pro foribus Templi Societatis IESV, eius ornatum munificentissimum præcipiens, ad annum Ordinis nostri centesimum solemni gratiarum actione celebrandum.

Emblema picturatum.

Laruatica mors stratum humi leonem opprimens, ac elidens.

Inscriptio.

ANTONIO BARBERINO
VIRO ANIMI VERE MAGNI;
QVI CVM VOTIS, AC VIRIBVS
TAM CVPERET MAGNA, QVAM CAPERET,
RERVM IN NATVRA MAXIMIS, ET VOTORVM
NEC AVRI POTVIT AMORE CAPI, NEC VITÆ.
AVIDVS PROINDE
NON PECVLII, SED PERICVLI,
CVM IN DONA LARGE TOTVS EFFLVERET,
TIMORI ADMITTENDO
AB SE EXCLVSIT ET RIMVLAM.

PRV-

Insigne.

Apes flosculos ad alueare pedibus conuectantes: cum sententia:

PRÆVIDENT, ET PROVIDENT.

Pictura historica.

Antonius in Sacro Purpuratorum Patrum Senatu à Patruo Vrbano VIII. Pontificiæ Legationis à latere Crucem cum pompa excipiens.

Emblema picturatum.

Matrona grauis, cuius è manu dolentis elapsum, comminutumque speculum videbatur.

Inscriptio.

VITRVM VITA EST TAM FRAGILE,
QVAM ET MENDAX.
SPECVLVM SOLA MORS EST
VERVM, ATQVE VERIDICVM.
IN HOC RES SVAS ANTONIVS, ET SE SE VIDIT;
EX HOC ET REBVS SVIS, ET SIBI PROVIDIT.
LINQVENDA SEMEL
DANDO PAVPERIBVS PIE
DIMISIT ANTE, ET MISIT IN CAELVM BONA.
MOBILIA SIC STABILIIT;
PRVDENS FVIT.

Insigne.

Lilium inflexo collo, cum guttis ex ore deciduis: addito carmine:

FLECTITVR, INDE FLVIT.

Pictura historica.

Antonius Pontificali habitu infulatus Sacra D. Remigij lipsana pia in supplicatione circumferens, popularibus affectis pestilentiâ indicatis.

Emblema picturatum.

Mater ægerrima effusè plorans in pueros miserè eiulantes.

Inscriptio.

IVSTA DAT HIC PIETAS;
LACRYMAS DATE PII, SED IVSTAS.
MISERORVM TRISTES SVNT, ET AMARÆ;
HAS REPOSCIT INOPIA;
CVI NEMPE MISERAE
TANTAM OPEM MORS ADEMIT
MISERANTEM LARGE ANTONIVM BARBERINVM.
SED ET IVCVNDAS HABET, DVLCESQ; LAETITIA:
DEBENTVR HAE FELICIBVS;
ANTONIO HAS DATE:
FELIX ENIM OBIT,
QVI MISERIS OCCIDIT LVCTVOSVS.

In media maximaque Templi Ianua exteriore, ſub Antonij Gentilitio Inſigni breue hoc dictum legebatur,

APIS HÆC, HEV, MORTVA PVPVGIT.

Supra eandem hanc ianuam altior extabat Fama geminam ore tubam animans. Inſcriptũ erat:

NOMEN HONOSQVE MANENT.

Eidem rurſus ianuæ interiori appoſita ſub gentili etiam eiuſdem Antonij Inſigni verba hæc ardentes cereos inuitabant ad lacrymas:

FLETE CERAE, MEL DEFECIT.

In minore ianua eiuſdem frontis extimæ voces hæ doloris erant affixæ;

DVLCE MORS ABSTVLIT: HEV AMAROR!

In altera verò ad læuam collacrymabat hoc dictum:

LARGVS INTERIIT: HINC ANGVSTIÆ.

In eiuſdem denique Templi oſtio laterali hæc ſententia laudabat Antonium:

PRIMVS AMOR CVI IESVS ERAT.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

ORATIO.

ANtonius Barberinus prænobilium ab alto ſanguine Auorum Nepos, fulgor, gloria, & triumphus; Caroli Barberini Vrbani VIII. Fratris, & Conſtantiæ Magalottæ Filius; Magnus Equeſtrium Ordinum Sancti Spiritus, & Hieroſolymitani Commendatarius, ac Romæ Prior; Romani Pontificis olim ſæpius à latere Legatus; Lauretanæ Domus, ac Dominicanæ familiæ, aliorumq; Religioſorum Ordinum Protector; Signaturæ vtriuſq; Sacrorum Rituum, Breuiũ diplomatum, & Propagãdæ Fidei Conſultationum Præfectus; Chriſtianiſſimi Regis Magnus Eleemoſynarius; & à ſecretis eius Regni conſilijs; Rhemenſis Archiepiſcopus; Primus Dux, & Par, vt appellant, Galliæ; Epiſcopus Præneſtinus, & S. R. E. Cardinalis Camerarius; fuit. Fuit? Heu quantum ruinæ vno impulſu mors dedit, quæ in vno, quem extinxit, Antonio, ſtruem nominum tam excelſam, decorum molem tam præſtantem, meritorum cumulum tam ingentem perculit, diruit, diſſipauit! Fuit? Et ille tam benefici largus amoris, quàm munificæ amans largitatis; noſtris, in quibus ferebatur, ereptus eſt oculis; cui ſi parem voluiſſet cenſum Fortuna tribuere, ipſius ditioni, atque imperio Orbem adſcriptura erat vniuerſum; ac tum Antonium vidiſſet ad omne genus hominum recreandum, erigendum, locupletandum, ornandum, quòquò terrarum, ac gentium manus cum ſole beneficas diſpergentem?

Fuit? Heu quot quantisq; malis grauida hæc vna, & tantula vox est, fuit? In se magna ruere, magnarum ædium, arborumque casus ostendunt. Ingentes viri numquam ita ruunt in se se, quin ipsorum ruina super alios circum plurimos cum pernicie, & clade plurima conteratur. En ingens ille Antonius per vim mortis ineluctabilem nuper euersus, quot adiacentium, subiectorumq; ipsi mortalium spes, opes, præsidia, solatia, honores, gaudia obruit, & obtriuit! Fuit? Ita inquam, fuit. Ecquid igitur? Nihil ne, nisi acerbum, ac flebile, nisi querulum, ac funestum hæc de Antonio vox habet, fuit? At enim aliquid certè, immo multum est etiam, quod exprimi ex ea possit leuamenti, atque solatij. Antonium fuisse, hoc est, desijsse inter nos esse, id in hac voce, fuit, ad dolorem spectat, & luctum: at eundem, eo fuisse modo, quo esse se, & se, quis esset, cumulatè præstans, ostenderet, Principem, Antistitem, Purpuratum, hoc in eadem voce illud est, quod, quemadmodum funebri hac laudatione nunc moliar, & mulcere lacrymas potest, & consolari dolorem.

Excelsæ in natura res, atque spectabiles ab initijs plerumque magnis, ac præclaris existunt. Auroræ de sinu quàm patenti, quàm fulgido diem allaturus Mundo sol exit! Et quæ alueo flumina profundiore præterfluunt, prope ab exortu non parua sæpe nauigia patiuntur. Magnus sanè Princeps, Antistes, ac Purpuratus fuit Antonius; sed, vt eius magnitudo se proderet, expectare ne debuit, dum ab ætate adulta prodiret? Immo ab adolescentia ipsa, pueritiaq; statim erupit. Quid enim modica illa in ætate magnum nos iure suspicimus? Indolem

nem-

nempe ſine fraude ſagacem, ſine ſcurrilitate iucundam, ſine petulantia hilarem, ſine corruptela facilem, ſine iactantia munificam, ſine arrogantia generoſam: quæ ſpecimen oſtentet ingenij; quæ ſemina, germinaq; proferat pietatis. Sed hanc ipſam in Antonio indolem eius & coæui aſpexere ſcilicet, ac ſuſpexere; & Patruus cum primis Vrbanus VIII. Maffœius tunc Cardinalis Barberinus obſeruauit, & coluit: qui naris vtique ob ſummam ſapientiam, prudentiamque ſagaciſſimæ, tot in eum congeſta naturę ornamenta cum cerneret, animum in eodem amplius odorabatur rerum iam tum capacem, auidumque magnarum. Neque verò tam pulchræ ſpei non aſſenſere præludia: Palmas aio, quas Antonius ſæpe ſuos inter palęſtritas litteraria in arena Romani Collegij, ſuæ quidem virtutis præmia, non munera alienæ gratiæ victor tulit. Quod ſanè pluribus ipſe, nec dubijs ingenij ſui argumentis euicit, non vario ſolùm politiorum genere ſcriptionum, & cultu etiam eleganti Muſarum, ſed & piorũ apto grauique textu ſermonum; dictiſque ſemper in rerum grauiſſimarum conſultationibus prudenter, ſapienterque ſententijs; quibus ſeueriorum etiam, præſtantiorumque diſciplinarum cognitionem vberem, ſolidamque Viris dignitate item, ac doctrina Eminentiſſimis approbauit.

Et, quoniam ſapientiæ, cuius initium timor Domini eſt, cum improbitate non conuenit, cùm pietate tunc etiam ita conuenit Antonio, vt, quod non vni memorauit ipſe, nec ſemel, inter ſtudia humanitatis animum conferens ad diuina, nunc, remiſſo rebus humanis nuncio, genus aliquod vi-

tæ ſeuerius amplecteretur, in ea Purpurati Patrui ſpe, atque expectatione tanta, quantam delatus illi deinde maximus Pontificatus impleuit, ſeria ſecum, atque cum Deo diù multumque conſilia agitarit. At enim Antoniū Deus maximis in Christiana Republica deſtinarat honoribus: quorum ipſe eo etiam nomine oſtendebat ſe fore capacem, quòd vitam meditans ab honoribus alienam, eorum poſſet cupiditate, atque expectatione non capi.

Iam verò in humanarum rerum excelſitate illud ſupra faſtigium quodammodo humanum attollitur, cum quis ad ſumma fauſtè, feliciterque prouectus, ad ima illinc facilè, benignèque reſpectat. Et reſpectauit Antonius; Patruo enim Imperium Vaticanæ ſedis adepto, eo in Vrbis, Orbiſque plauſu, quid illi primum, aut inter prima venit in mentem? humanitas; ſed munifica, ſed excelſa, hoc eſt eius, qua præditus erat, generoſæ mentis, ac Principis. Præceptorem, quem tunc audiebat, amabatque plurimùm, in Claſſe Humanitatis adiuit; actiſque illi humaniſſimè gratijs ob litterariam operam beneuolè ſibi, ac diligenter impenſam, elegantium, nitidorumque munerum protulit illi vim plurimam, quæ in ipſius auditores, condiſcipulos ſuos, ſuo ipſe arbitratu diuideret. O fœcundum ingenio, facundiorem manibus adoleſcentem, humanitatis tam citò factum ex diſcipulo Præceptorem! Et, quod præſtantius eſt, tunc docere viſus eſt humanitatem Antonius; cum illam non pauci, aſſumpto cum honoribus faſtu, conſilio certè minus ſapienti, dediſcunt. Viri enim excelſi non aliunde ſe magis per reue-

ren-

rentiam dignitatis attollunt, quàm vnde se ipsi per indulgentiam humanitatis inclinant. Dignitas quippe, fortunæ, humanitas, excelsitas est virtutis. In qua, habito procul fastu, Antonius ita semper excelluit, vt nihil maiestate humanitati detraxerit, nihil humanitate læserit maiestatem. Memoriam verò adeò gratam retinuit semper eorum, quos sibi ante Principatum, & Purpuram studiorum ratio, & pristina consuetudo coniunxerat, vt non destiterit vnquam beneficia, quæ posset, omnia, ijs à Patruo suis enixè postulatibus exorare. Sic vt, per vrbanitatem scilicet, quæsierit ex eo semel Vrbanus, An ipsius duntaxat amicis putaret se factum esse Pontificem, pro quibus non desineret ab se tam sæpe efflagitare tam multa? Cui Antonius, Si pro se, inquit, illa deposceret, arbitrari se eam in ipso cupiditatem esse culpandam; quoniam verò ageret pro amicis interpretem, ea suæ sortis vti se gratia, ob quam sanguinis cum Pontifice Maximo propinquitatem primò, vnicèque duceret expetendam. O vocem animæ magnę plenam, & qua Principes haud aliam possint edere seu conuenientiorem sibi, seu populo gratiorem! Id enim ita cupere, ac præstare, illud est vnicè etiam, aut primò commendandum in Principe, Principatui se, non sibi Principatum impendere.

Quod si cumulatiùs nemo præstat, quàm qui profuturus alijs, suarum rerum, suique profusus, aurum, vitamque in Principatu contemnit, quotumquemque in hac laude Antonio quisquam anteferat, cui auri, vitæque contemptu, pro ipsius animi Regali planè magnitudine præstet nemo?

Au-

Aurum certè plurimum vidit, sed vix amplius, quàm vidit Antonius: Tam prope, tam properè ab ipso transferebatur in alios. Peregrina sanè merces, quæ semper esset in transitu. Et verò pecuniam vix auidus quisquam tantum vnquam amauit, quantum contempsit Antonius. Quanquam & ipse amauit pecuniam, sed vt daret. Ita amauit in illa, quod in illa vidit esse pulcherrimum, elargiri. Quòd si eâ in oblatâ species aliqua sese cupiditatis ostenderet, pecuniam tunc ipse non modò non amauit, at horruit. Horruit, cum centena aureorum millia à primario in Gallia viro delata ipsi fuere, si magni eo in Regno Eleemosynarij munus in ipsum vellet, annuente Rege, reijcere; Regiéque reponens, Honores, ait, ab humanissima Regis largitate sibi collatos, apud se non esse venales. Horruit, cum recipi sibi prouentus duplo, quàm ex Rhemensi Archiepiscopatu perciperet, opulentiores audiuit, si eam Sedem, vt resideret Romæ, vellet vltro dimittere: Seque non illum esse respondit, qui à reditu, sed ab honore Infulas æstimaret. Illicium pecunia faceret Antonij generositati? Portentum! Annua duodeuiginti aureorum millia triplici syngrapha Antonio munificentia Christianissimi Regis adscripserat: magnanimus, contemptorque auri Princeps, præterquàm primo semèl anno, consecutis deinde perpluribus ea nunquam exegit. O hiantia mortalium vota! Modicissima non rarò pectora opes vastæ non implent: Antonij sinus augusti tantulam pecuniæ illecebram, cupiditatemque non capiunt! Quid verò capiunt? Eum nempè animum, qui cum ipsis quodammodo Regibus possit de liberalitate contendere.

Et verò in ſceptra etiam, ſoliaque Regalia Antonij liberalitas eluuione quadam aurea redundauit. Quàm enim prope fuit, vt ab Arce Caſalenſi, ob egeſtatem imperatæ quidem, ſed imparatæ pecuniæ, dilaberetur cum eius deditione militare præſidium! Id periculi, ſuppeditato ſtatim militari ſtipendio, auertit Antonius. Perſtitere milites, & Arx ſtetit. Non Caſalenſis, ſed Tarpeia Antonio Arx illa fuit; in qua Chriſtianiſſimo Regi ſeruata ſuum ſibi viſus eſt inueniſſe Capitolium, & triumphum. Qui etiam toties triumphare ſe credidit, quoties ſui animi munifica potuit edere argumenta pro Gallia. Humile porrò eſt prodeſſe, quia expedit: Beneficentia enim virtus eſt Regum; At in Reges humile nihil cadit; nec in Antonium; quem Regibus animus æquabat magis, meliuſque, quàm purpura. Quare ad largiendum non cogitatione adducebatur vana, vel ſordida, ſed liberali, & humana; qua nimirum pretium arbitrabatur dati, dediſſe. Quem aureum ſanè, regalemque beneficentiæ perpurgatæ ſplendorem, ne qua rei, vtilitatiſque ſuæ vel nubecula infuſcaret, vel rubigo detereret, corrumperetque, quàm timuit! Inde, cùm Venetis ad repellendam vim Turcicam, & debitam ſibi ab ijs vim ingentem pecuniæ remiſiſſet, & ijſdem inſuper ſuos in ea regione prouentus ampliſſimos, dum viueret, permiſiſſet, oblatum ſibi ab ijs vltro nobilitatis in ea Republica decus longè clariſſimum, ab ſe licet pro merito æſtimatum plurimi, tunc vtique non accepit; ne ſcilicet ſuum videretur vendidiſſe beneficium, quod donarat; poſtmodum verò, ne Regalibus ijs animis gratos eſſe non ſineret, gauiſus oppidò eſt, honoris tanti mu-

ti munere non vnum modò se, sed suam vniuersam Barberinam familiam exornari.

Hæc verò animi regia profectò, augustaque nobilitas non ea est, quæ vt illa domùs, ac gentis quacumque possit à quouis emi pecunia: cum sanguine, spirituque ab natura gratis accipitur. Nobilis verò, magnique animi retulit in argumenta Philosophus, quòd is, vti libenter elargitur, ita, cum accipit, erubescit. An verò ideo Antonius, vt hunc accipiendi ruborem excuteret, missa sibi amanter ab alijs munera, ad quos inuicem ea mitteret, secum illico destinabat? Quo etiam largitatis humanissimæ genere quantum sibi alienæ æstimationis, beneuolentiæque conflauit! Quantum senior ille Dionysius desiderabat in filio: apud quē plurima, quæ ab se cum primis acceperat, ex argento, auroque pocula diligenter asseruata conspiciens, Næ, inquit, animo tu regali non es præditus, qui tanto munerum pretiosorum aggestu neminem tibi amicum, ac beneuolentem adiunxeris. Antonius id beneficentia profectò sua consecutus apud omnes erat, vt communis amor, publicumque delicium esset, ac vocaretur ab omnibus. Munificum namque tunc etiam, cum cessat, largiri paratum, & si minus ab eo omnes accipiunt, quia tamen dare amat omnibus, omnes amant. Magnum verò munus est, quòd, & si munera ad priuatos pertinent, dantis amor in commune profunditur. Rursum, aurum in munere materia est, opus ipsum, est animus; At enim si in re vsquam alia, in Antonij largitate materiam superabat opus. Eo ipse dabat indice animi vultu, quo vix cupidissimus quisque solet accipere; explicato semper, ac læto, nisi

cum

cum dare ſeu quantum vellet haud poſſet, ſeu quantum poſſet, velletque, illud is, qui donabatur, ab ipſo nollet accipere. Opima ſacerdotia perplura reiecit in alios: quantam verò voluptatem ſibi conqueſtus eſt eripi, cùm amiciſſimo, eidemque honore, ac meritis Eminentiſſimo Viro non niſi partem ampliſſimi, quod illi detulerat, muneris coactus eſt dare? Plus tamen, quàm totum, & ipſe dedit, & ſibi viſus eſt alter accipere, quando in eam, quam largitus eſt, partem, tantum Antonius ingentis ſui, beneuolique animi ſuperfudit.

Atque hìc non niſi animum, ſed alibi quantam etiam animo adiecit in erogatione muneris largitatem! Rarò quantum vellet, dare non potuit: quàm ſæpe multò plus, quàm peteretur, impertijt! Dynaſta Gallicus famâ, familiâque clariſſimus diutino, ſplendidoque hoſpitio ab Antonio habitus hìc Romæ, reuerſurus in Galliam mutuam ab illo pecuniæ vim aliquam, ad vię prȩſidium, per interpretem poſtulauit. Negauit primò Antonius, eius tunc pecuniæ vacuitatem excuſans. Mox decem aureorum millia ad eum miſit; cum appendicula dicti aureis omnibus pretioſiori; Antonium carere pecunia, quam Dynaſtæ tanto det mutuam; pecuniam, quam eidem donet, habere. Non hìc opus eſt Vate, eius vt Dynaſtæ animus poſſit introſpici, ac proferri. Alieno grauatum ære profecturum ſe ab Vrbe putabat; grauior multò, ob auream Antonij largitatem, donato auro diſceſſit. Erraui. Nihil enim oneris ſecũ abſtulit, ſi vnũ illius auri tanti põdus excipias. Intelligebat enim, excelſæ Antonij magnanimitati reponi gratiã, accipiendo, cuius nempe voluptatum eſſet ſumma, largiri.

Sed enim verò accipientis nobilitas prouocat facilè in munifico largitatem. Rogare autem, magnum non modò meritum, at in Viro præsertim, Principe pretium est etiam obtinendi. Quid igitur Antonius? gloriæ ne tantùm, quod summum est, pretio sua sic munera fœnerabat, vt ea in excelsis tantùm capitibus collocaret? At in egentes, sortisque afflictæ mortales quoties nobilem, splendidamque exercuit liberalitatem? Rusticum ad Citernam aduertit procul ipse ex tenui arbusculæ ramo pendentem, suæque in Tyberi submersioni iam proximum. Milites confestim suos iussit ire suppetias; quorum ope receptus ille à periculo in tutum est. Quid hìc Antonius? quasi reuixisset ipse, ob animi sui lętitiam, centenos aureos duplices seruato illi, eiusque seruatoribus erogauit. Submersionem diceres non fuisse cum successu vetitam, sed cum accessione mutatam. Vnus enim aquâ cum mergendus esset à Tyberi, plures auro submersit Antonius. Hoc porrò est esse cum virtute munificum, gaudere cum seruas, seruare cum donas.

Quid cum aliquid etiam præstantius seruatur donando, quàm vita? Pudorem intelligo, de quo monuit ille sapienter ex Satyra, quod & sanctè potuisset ex ara Sacerdos,

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Tunc enimuerò munificentiæ Antonius omnes effusè dabat habenas. Dedit sanè, cum Neapolitanæ Matronæ Romam, molestissimæ litis gratiâ, cum filia virgine, nubilique profectæ, vim auri assiduam, ingentemque complures annos per Religiosum Virum ex nostra Societate submisit; ne scilicet

ege-

egeſtatis ideò turpis,quia turpia ſuadentis impulſu, in iјs rerum, quibus premebatur, anguſtijs præſidium cogeretur quærere bonæ cauſæ non bonum;ex quo ſortirentur ſcilicet & fortunæ patronum, & pudicitia graſſatorem. Dedit, cum militiæ ab hoſtili manu raptis in Pontificia ditione ex imbelli ſexu nonnullis, auditoque per caſtrenſem licentiam minus eas fuiſſe humaniter,ac reuerenter acceptas, militibus ſuis imperauit, prædam ab hoſte abducerent in ſua caſtra conſimilem: quod vbi peractum eſt ſedulò,captas illas,ne in aſpectum quidem ſuum admiſſas non honeſtè ſolùm,ac benignè, ſed iucundè, lautè, ſplendidè, munificèque complures dies tractari ſic iuſſit, vt eæ deinde ad ſuos liberè, libenterque remiſſæ, rei tam honorificè,regièque ſecum geſtæ commemoratione, ſuorum ſimul ora præ pudore confuderint, ſimul animos tanto erga Antonium ſtudio inflammarint, vt, quando Magni Macedonis magnanimus æmulator, quemadmodum ille Darij captiuas coniugem, prolemque regiam; ita ipſe hoſtili etiam ex gente fœminas caſtè, ſanctèque habuerat, addideratque amplius benignitatem hoſpitij, & donorum, ipſi contra ſimilia Perſarum Regi vota ſuſceperint, vt imperaret nimirum ipſis tam modeſtus hoſtis, tam non modò miſericors, ſed & munificus Princeps.

Animos hìc aliorũ Antonij generoſitas cõſentanea nimirũ Marti, Bellonæq; ad ſe ſe conuertat;me quidẽ magis hoſpes caſtrorũ rara,eiuſdẽ pietas ad ſe ſe trahit,cultrix nempe,hortatrixq; modeſtiæ: cuius proinde procurrentem in campos largitatem Antonij perſequi gaudet, ac feſtinat oratio. Verùm hìc popularem audio lætitiam, quæ animoſa ſimul,

& anxia, Ita ne, inquit, cum tu de Antonij hilaritate in largiendo memineris, ea vſque tacita neglectaque poſtmittes, quæ in ipſius fuere largitate lætiſſima? Deque te tam multos, atque in his, & milites in Italia, & nobiles in Gallia Viros queri ſines, quaſi digni memoratu non ſint dati ab ipſis tam clarè plauſus Antonio, cum & Philippis aureis nummatum amplè marſupium, & trecentos aliàs eoſdem duplices, ſuæ cum Principibus Viris ex fortuito ludo victoriæ præmium, in ipſos illicò egregiâ, regiâque liberalitate diuiſit? At hoc ſanè fuit proferre ex fortuna ipſa virtutem; quæ victoriam ſcitè, ſapienterque partita ſic eſt, vt eius quæſtus in alios, gloria in Antonium redundaret. Ecquid? illi etiam muti per te, obſcurique plauſus erunt tam canori, tam clari, quos & luſu artificioſorum ignium tam longo, tam vario; & flammis affatim alijs tam multiplici alimento fulgentibus; & claſſicis, lituis, tympaniſque, & lyricinum, tibicinumque, & ſymphoniacorum, muſicorumque concentibus; & inſtructis, extructiſque prodigè, prodigialiterque conuiuijs, aut Paci inter ſummos potentiſſimoſque Chriſtianæ Reip. Reges feliciſſimè reſtitutæ, aut vtriuſque Gallici Delphini natalibus Antonij dedit munificentia triumphalis? Et triumphales etiam illos Vrbini arcus, Antonij triplici tunc legatione, & Pontificiorum armorum Præfecturâ ſummâ fulgentis, illuſtrem adeò gloriam ſilentio obſcurabis inglorio; in eoque tumulabis effuſos illos ab Antonio in Populum pecuniæ aceruos, honoreſque ac munera ampliſſima ab eodem in Ciues, Patritioſque Viros vltro, humaniterque collata; ipſumque interim ſe ſe inter

deuo-

deuotam sibi vndique lætissimo, faustissimoque murmure immortalitatem, triumpho non animorum minus, quàm armorum dignissimum approbantem? Obtrectari etiam dissimulantiæ tuæ contemptum à Scena patieris, & Foro? A Scena quidem, quòd illud memorare contemnas Magicum ab Antonio datum in ipsa Palatium; cuius à spectaculo, in tam conferto semper, prementeque se cætu spectantium, nemo vnquam, nisi admiratione defixus, ac miraculo prope excantatus abiuit? A Foro, quòd illud Romæ Agonale prætereas, in quo Troicum dari ludum iussit Antonius, tanto cum equorum, ac equitum, cum epheborum, stipatorumque numero, ordine, ac delectu, et cum pompa vestium eleganti simul, ac diuite; tam effusa, tam opulenta nobilium largitione præmiorum, vt non modò Populus, Ciues, Patritij, Principesque Viri voluptate, gaudio, admiratione perfundi, sed ipsa, quæ calcabatur humus, ipsæ, quæ circumstabant, ædes exilire lætitia, ac gestire tripudio viderentur? Respira paullulum ex istac tua tanta contentione, lætitia. Pluscula effudisti scilicet, quàm oportuit & profari te, & nos audire. Ignosco tamen, difficile est enim lætitiæ, cum incaluit, non exire modum, metamque præteruehi. Fuit Antonius Princeps; sua igitur dederit etiam populari lætitiæ: sed idem Antistes, & Purpuratus fuit; quæ duo cum Sacra sint nomina, largitatis laudem primò quidem à pietate reposcunt. Et à pietate laudem Antonij largitas commeruit primò, ac percepit vberrimè.

Extra ordinem ea fuere, quæ memorata sunt hactenus, effusæ liberalitatis exempla; munificæ pietati,

tati, quàm amplum exaggeratumque constituit, certòque, & constanter quotannis soluit in Purpura, Insulaque vectigal! Si collata in hoc ab ipso pecunia reuocetur ad calculos, quàm multa centena aureorum millia computatum iri putatis? Ecquod enim genus erat miserorum, ac inopum, ad quod opem suam vberem pia manus Antonij non extendret? An non parata illa semper erat gregibus pauperum obsoletis? An non statis cum demensis egentes, afflictasque domos intrabat? An non destitutas honestorum, nobiliumque Ciuium quærebat, erigebatque familias? An non ad excelsiora etiam gradibus, honoribusque, sed minus ab egestate splendida, commodaque cubicula pertinebat? Quàm longa numerantur serie piæ, religiosæque Domus, Nosocomia, Sodalitates, Collegia, Parthenones, Cœnobia, (parco nominibus, ne cum tempore meam vnà memoriam, & vestras etiam, aures obruam, mentesque confundam) quæ ereptum sibi Antonium, tantumque cum illo benignæ, iugis, certæque opis ademptum inexhaustis vsque lacrymis lamentantur? Aetatis suæ annos numerare instituerat; sed quo calculo? largitatis piæ. Pro annorum, quos vixerat, numero, pauperibus totidem nouos quotannis subcinericei coloris amictus, ad simulacrum pœnitentiæ, inducebat. Annos profectò suos in libro vitæ describebat Antonius; qui pietatis charactere tam pulchro illos in pauperibus numerabat; in quibus liber vitæ Christus se ipse nobis reliquit in terris. O vtinam, quando militia vita est hominis super terram, hoc militari pauperum cuneo expugnari Cælum potuisset, vt anni possent inde ad Antonium detrahi immortales!

les! Non esset nunc tam peruagatus omnium dolor, ac luctus, qui Patronum, Patremque suum, Defensorem, Vindicem, Adiutorem, Altorem, suam spem, opem, lucem, auram, animamque requirunt!

Ereptus mortalitati nostræ Antonius est, quantum Vaticanæ Sedi, Orthodoxæ fidei, Cælo, Cælitibusque deperijt! Sacra, Sacerdotes, aræ, Templa, Basilicæ, quæ vasa, quas vestes, quos ornatus, quæ aulæa, quàm elegantia, quàm opulenta, quàm splendida munificæ pietati debent Antonij! quàm verò larga, crebraque auri præsidia Parochis in Gallia præsertim per Confessarium suppeditabat, ea vt ope creditos ipsorum curæ populares vel è cœno perfidiæ demersos eriperent, vel labantes, labentesque in integritate Catholica retinerent, sisterent, confirmarent? Quæ ipsius animum in tantum cura coquebat, vt, cum Pontificis Romani decretis notam alicubi, labemque metueret, exinde suo, quo tunc affligebatur, morbo accessionem factam esse non sine pio gemitu memoraret. Romam profectos ad eiurandam hæresim adolescentes, alterum excelsi Principis, sed ab Orthodoxa Fide alieni Ephebum; alterum Caluinistæ Ministelli celeberrimi filium, quàm beneuolo excepit hospitio, quàm liberaliter munificèque tractauit! Et eorum alterum bonis instrui artibus eo iussit euentu, vt is diuino adductus impulsu Cappuccinorum familiæ aggregarit se se: alteri, inter ægrotandum, curam adeò piam, verèque paternam impendit, vt is, redintegratis viribus, non dona tantùm amplissima, luculentamque pecuniam, sed optimæ Fidei opulentissimũ, diuinumque thesaurum

rum

rum ſuam in patriam ab Antonij caritate munificentiſſima reportarit. Reportauit & ille ex Iudæa gente mendicus, cui Antonius occurrenti, rogantique, ſtipem ea cum formula ſubinde pius impertijt, Luce ſua tibi Deus affulgeat. Et verò ea pecunia, ijſque verbis, tanquam materiâ, ac formâ confectum ab Antonio diceres Sacramẽtum; ita nempe, quod precabatur, effecit. Nam eius obcæcati noctem ſuo lumine Deus excuſſit; & ipſe, conſtituto illi demenſo, adiecit amplius, vt, qui depoſuerat in ſacro fonte perfidiam, venam apud ſe inueniret fideliſſimæ caritatis.

Quid ſingula, ſinguloſque perſequor, quod laboris eſt tam infiniti, quàm irriti? Vrbanum de propaganda Fide Collegium, an non auctos ſibi luculenter prouentus ſuos debet Antonio? Hiberni, quos ſuam in tutelam ipſe receperat, an non eius experti ſunt largitatem ſupra impenſa ſibi ab alijs Principibus, Purpuratiſque Viris præſidia profuſiùs multò, atque ſplendidiùs triumphantem? An verò nulla non extant, incurruntque in oculos munifica tantæ liberalitatis monumenta? Immo verò pars non exigua & Dominicanæ Domus ſupra Mineruam; & parietis D. Iſidori Templo circumiecti; & extructum hìc Romę in Cappuccinorum Templo Sacellum; & eorumdem Cœnobium ad aquas Sextias à fundamentis excitatum in Gallia; & bona pars areæ ad Piarum Scholarum in hac Vrbe exædificationem coëmpta; & collapſum Septempedæ D. Seuerini Templum ferè de integro reſtitutum; & Rhemenſis Archiepiſcopi Sedes pluribus aucta ornamentis, & commodis; manentem, manſuramque largitatem Antonij memorant, &

com-

commendant. Dixeram ego, aurum ab Antonio fuisse contemptum: corrigenda vox est; qui enim aurum nequaquam arcæ, veluti tumulo cadauer infodit, sed viuidum, vegetumque ad obeunda munera longè pulcherrima, honestissimaque, ad ferendam egentibus opem, ad seruandas periclitantium animas, ad fouendas pias, religiosasque familias, ad Dei, Cælitumque honores amplificandos optimè destinauit, is verò sapienter aurum eo, quo æstimandum est, nomine æstimauit. Et vos æstimate nunc, quàm ex integro fuerit in hac primùm parte Antonius Antistes, & Purpuratus ille, qui fuit; qui contemptu auri tam generoso, tam pio, sacro se Principatui, non sacrum sibi Principatum impendit.

At enim aurum contemnere vitæ præsidium, magni quidem est animi: sed maioris multò est, auram negligere vitæ spiraculum. In ea verò, quæ magis ardua sunt, gaudet magis eniti magnanimus: auram igitur magis quàm aurum pro sua magnanimitate, in communi publicaque re Antonius fortiter, animosèque contempsit. Quoties enim suam ipse vitam, in quot, & quanta incommoda, periculaque pro Vaticana cum primis Sede coniecit? Non ea loquor, ad quæ ipse in Consultationibus, ac Præfecturis cum laude semper adhibitus est, munera præclara item, atque grauissima; sed asperiora his intelligo, sentibusque difficultatum inter Christianos Principes implexa negotia, ad quæ explicanda, componendaque Vrbanus VIII. ideò illum misit, quia, cum eius mentem in omnem partem cum prudentia, ac dexteritate versatilem experimento iam nosset, tum eiusdem ani-

mum ex ipsa rerum arduitate audere magis, atque in exercitationem robustæ virtutis erumpere fortiùs aduertebat. Neque verò, ad capessenda itinera, mitigata remittentibus æstu, vel hyeme tempora deligebat: vtrâque inclementiâ gaudebat, quasi palæstra: pati fortia viam putans idoneam, qua ad agenda fortia gtaderetur. Eius certè animus is semper fuit, in quem vsque adeò nullus vnquam metus intrauit, vt bellicis non modò minis, atque periculis, sed sclopis, atque tormentis suum animosè corpus obiecerit. Temerarium diceres, nisi prudentia, quam in castris, & acie milites, Ducesque clarissimi demirati sunt maximè, quæ ab ipso tanta cum vi, ac celeritate gesta sunt toties, ad inuictam generosi pectoris fortitudinem retulisset. Atque hìc bellica strepunt, admonentque me classica; personat vndique confremitque militaris clamor, & plausus: atque ex virtute bellica, vnde illi fama extitit, gloriaque tam ingens, expectat, expetitque vt laus à me præcipua, fusiore scilicet, atque animosiore stylo in Antonium deriuetur. Verùm astra licet, ne dum aures feriant permixtæ tubis, ac tympanis voces clarè, hilarèque plaudentium, non audio. Audio contra Rhemenses Ciues inter perfusa iucundissimo fletu gaudia vocibus, gratulationibusq; lætissimis Antonium verum, ingenuumque Pastorem, Parentem, Vindicem salutantes. Vnde verò hæc illi ad tot alios fulgentissimos ipsius titulos nomina tam plena inclytæ pietatis accesserint, Fama iam Rhemensi ab Vrbe non per Galliam modò, sed per Angliam, Italiamque, & Europam omnem iure, ac merito laudatrix, admiratrixque circum-

cumulit. Lues enim cum Rhemos intrasset, abesſetque fortè Antonius, ibi tunc loci degens, vbi & ſedes eſſe Rhemenſibus Archiepiſcopis conſueuit; calamitatis admonitum, Vrbique certò ſe reddere iam parantem, enixis rogauere precibus Magiſtratus, Optimateſque Rhemenſes, ſi ſaluam vellet Vrbem, parceret communi ſe aggregare periculo, cuius ab incolumitate aliorum vita penderet: reſiſteret verò ibi tutò, vnde commodè etiam poſſet opportunum publico malo præſidium auctoritate, conſilio, cæteraque ſuâ beneficentia impertiri. Gratijs Antonius habitis, actiſque teſtatiſſimæ erga ſe Ciuium voluntati, rationem habiturum ſe recepit publici & mali, & voti; cæterum, contumeliam imponi ſibi nũquam alieno ab amore paſſurum: illud adeò omninò effecturum ſe, quod ab ea quàm longiſſimè abeſſet.

Videor hìc mihi videre Antoniũ talia ſecũ animo agitantẽ: Ego ne in Rhemenſi grege Mercenarius, non Paſtor videar, & appeller, qui ruentem in oues luem, lupam nempe funeſtam videns, etſi, quoniam abſum, haud fugio, conſcius tamen, cum poſſim, ac debeam, non accurram? Mutios nimirum, ac Decios, Coclites, Horatios, Curtios, alioſque ſexcentos auſos vltro ſe pro patriæ ſalute deuouere, reſpiciat omnis, ſuſpiciatque poſteritas; &, ſi minus acres, ac robuſti á vetuſtate, ac ſuperſtitione ſunt ſtimuli, Paſtorem ſuum Carolum Borromæum Mediolanum aſpexerit eum in modum pro contacto peſtilentiâ grege ſollicitum, vt non ſuarum modò rerum, ſed & vitæ ſuæ pio animoſoque contemptu ſalutem publicam accurrarit; ego nunc exemplo tanto nil mouear? quin & nunc de-

nique ſpiritus ſuſcipiam à me ipſo degeneres? &, qui viridiorem olim ætatem graſſanti per imperata tunc à me caſtra contagi obiectare non timui, æuo nunc grauiore, tam pio ſanctoque, vti Carolus, inſignitus nomine, munereque Paſtoris, quicquid reliquum eſt vitæ non auſim, vt ille, pro crediti mi-gregis incolumitate contemnere? ac dum in ęſtuante mortis arena meæ exercentur, conflagrantque oues, meticuloſus ipſe ac deſes, ne ſpectator quidem tuta procul in vmbra conſideam? Moriar? hoc ſi futurum eſt ſemel, quando fieri optandum eſt magis, quàm cum & mori cum populo, pium, & pro populo, glorioſum? Quos verò in vſus meliores, præſtantioreſque Antiſtiti Deus vitam indulget, quám ad populi propulſandas ærumnas, fauſtitatemque curandam? Vtinam verò virgam hanc iraſcentis Dei deflectere in me poſſem à populo! toties ego regerminãte frui me vita putarem, quot in capita ex meo vnius occaſu læta ſe ſalus, ac vita refunderet. An verò genus mortis eſt vllum, quod contingere mihi clarius poſſit, aut carius, quàm quod per tabem corporis pia pro caritate ſuſceptam, animi ſordes non vana ſpe eluat, & expungat? perque redditum Deo labentis vitæ munus hoc breue, ingentem inæſtimabilemque reponat mihi theſaurum beatiſſimæ perennitatis?

Hæc, vt opinor, atque his maiora ingenti illo, quem ipſi nouimus, animo verſans, iter Antonius properanter ingreditur, ſeque afflatam abdit in Vrbem. Quo comitatu? quo corporis ſui præſidio? qua tutela? Præter vnum animi, alterum corporis Curatorem, Confeſſarium, ac Medicum, cæteros Aulicos omnes, tutiore conſilio, in eo, vbi tunc de-

degebat, loco dimisit: sibi verò equum comparari iussit, ac instrui, in quo lustrare Vrbem, eòque promptiùs conferre se posset, quò ipsum in ea populi calamitate res posceret. Adfuit, præfuit, inspexit, prospexit, nihil vnquam consilij, nihil vsquam auxilij, mente, manu, opera, opibusque, seu metu periculi, seu fuga laboris omisit; tantum verò curæ, atque solertiæ, pro pio Pastoris munere ad insitam sibi naturâ generositatem adiecit, vt non Ciues modò in amorem sui admirationemque pertraxerit, sed ipsum Galliæ Regem Ludouicum ad agendas sibi gratias, pro sua in Rhemenses opera tàm impensè, tantoque cum successu collata; simùl eundem, atque cum ipso Reginam Anglorum Catharinam ad amanter expostulandum impulerit, quòd se nimium ipse prodigeret, cui nempe & sui, & aliorum causâ, parcere plus deberet. At enim Pastorem negligentem se se pro ouibus, pro ouibus & cum ouibus Superi accurarunt. Antonio enim vndecumque sospite ac indemni, quicquid circa ipsum iacturæ fuit, id vnius fuit pecuniæ, quam prouidus ipse, prouisorque munificus ad eius calamitatis præsidia effusissimè erogauit.

Quid iacturam dixi pecuniæ? Parce, Antoni; imprudenter mihi vox excidit virtuti tuæ iniuria, tuæ gloriæ indecora. Hoc namque tu lucrum, hanc voluptatem, hoc gaudium, hunc triumphum arbitratus es semper, tuas opes, tua commoda, tuum ipsum spiritum vitamque posse in aliorum præsidia, salutemque profundere. Quid porrò? Regnatrices in terris animæ pietatem in Antonio generosissimam laudibus extulere? Parum hoc est; eandem

dem prodigijs è Cælo Superi, luculentioribus nempe ſuffragijs; ſanctioribuſque præconijs conſecrarunt. Indemni enim Antonio, ægroti perplurimi, quod publica cõſignatum eſt fide, per piam ſupplicationem ab ſe infulato, & ſacra D. Remigij lipſana deferente inſtitutã, ſalutem illico nõ dubitãdo prodigio ſubitam recepere. Vt nihil hoc loco de ſimili eorum ſalutari euentu ſubijciam, qui plurimo quidem numero ſorbitiones ſibi ab Antonio miſſas hauſere: cuius rei fides apud eos auctores eſt, apud quos cum fucus eſſe, fallaciaque non ſoleat, nec ipſa credenda eſt eſſe obnoxia corruptelæ. Exinde verò, vt ne ad priuatos dumtaxat Ciues ea miſerentis Cæli beneficentia pertineret, vulgati veneni vis illa peſtifera in tota prorſus Vrbe deferbuit. Efferbuit verò contra communis omnium in Antonium amor, immortalitatem Vindici, Seruatorique ſuo ingenti animorum, vocumque aſſenſu deuouentium. Gratè quidem, ac iuſtè; Nemo enim quàm diutiſſimè viuere meretur magis, quàm qui, aliorum vitam vt ſeruet, meritum diuturnæ vitæ contemnit.

Hinc adeò noſtræ illæ in Antonium querelæ veteres, & vulgatæ, quòd, cum publico natus eſſet bono, ipſius vita, quæ tam omnibus pretioſa eſſet, vni eſſet ipſi tam vilis. An verò magnus ille, heroicuſque verè animus, quaſi intra pectus humanum magnis teneretur anguſtijs, carcerem nitebatur eluctari naturæ, ſuoque velut impetu in immenſa æternitatis, Cælique ſpatia ferebatur? Et illæ profectò Antonij voces aſſentiunt, quas cum pijs, intimiſque ſibi Viris, ingreſſus de morte, atque immortalitate ſermonem; ſyncera, bonaque effatus

eſt

eſt fide non ſemel; Se quidem, ſi dies à Deo ſibi diceretur in præſens, quò minus abiret,nihil cauſaturum, aut quæſiturum eſſe morarum: in humanis certè rem omnino nullam eſſe, cuius amore, atque complexu vel leuiſſimè teneretur. Deueneror hunc ſenſum, vocem hanc deprædico, & te admiror, Antoni. Sed interrogo te, ò magnanime Princeps, Tam fortia, grandiaque verba cum diceres, num ea, quæ te circumſtabant omnia, diligenti oculo circumſpexiſti? Nihil ne te morabantur, ac tenebant tam multæ,quibus affluebas,opes, tot commoda, tot honores? tot agmina nobilium ſtipatorum, tot famulorum cateruæ, tantus erga te omnium amor, ſtudium, cultus, obſequium, aſſenſio, acclamatio, in hac Vrbe,in Italia,in Gallia, vbi vbi denique de te fama prædicaret, & caneret? & vbi de te fama non caneret, ac prædicaret? in quæ omnia mentis obtutu reſpicere tantùm habet ſuauiſſimæ iucunditatis, & gaudij, quantum in ijs eſt pulcherrimæ dignitatis, & gloriæ. Vnum ne te latebat, Antoni, quod in omnium oculis, & ore iam fuerat, tantam tui æſtimationem apud omnes vbique fuiſſe; quantam honoribus tibi luculenter exhibitis teſtati ſunt clariſſimi belli Imperatores, Dynaſtæ, Duces, Principes, Purpurati,Reges? Exciderat ne animo ſpecioſiſſimum illud Armandi Cardinalis de Richelieu (quanti Viri, & quantis vbique laudibus decantati!) de tua generoſitate, prudentia, ac dexteritate iudicium, quod ille tunc tulit, cum te Vrbani Legatum, tua illa in ætate peruiridi, militarem inter pompam inuectum excepit; tuoque aſpectu,ac ſermone, qualis eſſes, & quantus ſagax ipſe, perſpi-

caxque cognouit; deque te magnificè alijs prædicauit? Obliuio ne eius Hiſpanorum fiduciæ de tui animi nobilitate te ceperat; qui cum te pronum eſſe ſcirent in Gallos, componendis tamen Coloniæ difficultatibus, Legatum te ſuum, Fecialemque popoſcerunt? eo nempe ſapienti adducti conſilio, à nobili (qualem habebant, dicebantque te meritò) magnanimoque Viro nihil eſſe corruptæ artis, fraudiſque malæ timendum; de rebus proinde iudicaturum te ſapienter, ingenuèque dicturum. At enim horum tibi memoriam elapſi iam retro anni complures abſtulerint; nullam ne tibi moram, amorem nullum huius vitæ inijciebat Galliarum, qui nunc viuit, viuatque diù, Rex Ludouicus, ſceptro tantus, & gloria, terrarum Orbem tantum armis, victorijſque circumiens; ſuos in vno ſe Auos omnes Galliæ, Europæ, Mundo, heroica pluſquâm mente, ac virtute reſtituens? qui cum te optimè quidem de ſe meritum tam multis, inſignibuſque Regni ſui honoribus exornaſſet, tum verò ſuum in pectus tanto te cum amore receperat, quantum tibi, alijſque, plurimis teſtari voluit argumentis; eâ tibi laude pulcherrimâ attributâ nō ſemel, Alium ab ſe compertū eſſe neminem, qui te ingenuæ, ſynceræque mentis, animique magni, ac generoſi laude præſtaret. Hic inquam erga te Ludouici amor, hæc eius de te tam decora, egregiaque exiſtimatio, nihil ne te, Antoni, mouebat, vt ab hac mortalitate cum aliqua te ſaltem mora diuelleres?

Sed illud fortaſſe animum à nobis tuum auulſerat, quòd, quemadmodum ſeriò, grauiterque tuo colloquens cum familiari dixiſti, digniſſimum te ipſe putabas, qui contemnereris ab omnibus, eo

ſci-

ſcilicet nomine, quòd Deum toties; ac tam effuſè contempſeras; neque deinde quantum oportuit, ad Dei, hominumque amoliendam iniuriam, & Deo exolueras pœnitentiæ, & hominibus exempli præbueras. Exeat ex priuato illo, ſecretoque colloquio vox hæc in apertum, & publicum, quæ te omnium exhibeat oculis multò plus, quàm infulâ, purpurâque, virtute, ac animo eminentem. Quantum enim hoc eſt, atque in illa, qua tu præſtabas, fortuna, quàm rarum, ea, quæ iniucunda ſunt, ad tantum vſque tui contemptum animo retractare; ea contra obliuione conterere, quæ mentem in ſpem, fiduciamque optimam iure poſſint erigere! Eleemoſyna, quam tu aſſiduò, effuſèque in ſinu pauperum abſcondiſti, muta ne pro te fuerit; aut deſpecta, quæ nimirum pro te non orauerit; & qua tua tu non potueris peccata redimere? Hanc tu certè, Antoni, eleemoſynæ, pro qua Deus ipſe ſponſorem, vademque ſe præbuit, iniuriam non iniunges. An verò ſortitus animam verè bonam, à tuis ipſis obtrectatoribus, maleque de te meritis non ſolùm contumelias aliorum auerteris; ſed iiſdem beneficia etiam, eo ipſo, quòd iniurij tibi fuerant, nomine repoſueris; tu hac tua pietate tantam indulgentiam erga te clementiſſimi Numinis non exoraueris? Vnde verò te mortales omnes, Antoni, contemnerent? An quòd & te aliquando aduerſa, vt in rebus fit humanis, fortuna impotenter exercuit? Sed quis tuum tunc illum animum hac ipſa maiorem non vidit, atque ſuſpexit? Quod eſt Viri ſanè magni, hoc tua tu in omni vita fortiter præſtitiſti; rebus nec elatus es lætis, nec deiectus es triſtibus. Tu ne adeò omnibus contemptui eſſe

posses, Antoni? Magnum Virum nemo contemnit. Ad hæc, tua illa maiestas facilis, liberalitas ingenua, inaffectata comitas, prudentia non fucata, quæ te ita in aliorum animos inferebant, vt eos facilè, quòcumque velles, impelleres, quantam tibi apud omnes beneuolentiam, æstimationem, gloriam conciliarunt? Vnum illud è plurimis reuoca in mentem tuæ prudentiæ, ac dexteritatis exemplum; cùm tu dissidia illa Lutetię Parisiorum Religiosas inter familias exorta, diùque & obstinatè in tantum coalita, vt, ad eam auertendam mutuæ caritatis pestem, complurium Virorum, & sanè præstantium, potentiumque molimina in irritum ceciderint; quæ tu demum, applaudente tibi Vrbe illa ter inclyta, felicissimè sustulisti.

Enimuerò, Antoni, illum te omnes existimarunt, quem iure nemo non omni complecteretur amore, obsequio coleret, reuerentiâ dignaretur. Id verò quãtum tibi debuerit in paucis nostra Societas, ex ingentibus tuis in ipsam beneficijs satis, opinor, æstimare tu poteras, nisi aut eorum obliuio te ceperat, quod, quia magni est animi, tu solebas; aut nos arbitrabaris ingratos, quod, quia boni non est animi, non solebas. Quamobrem, vt quod inter, & intra nos agitur, confiteamur hìc palam, tu quidem nobis, nescio an post vllum, ante plurimos certè deflendus maximè occubuisti. Ita nimirum nos amabas, vt nostrarum domuum gauderes hospes esse non infrequens: tantusque cum esses, quæ tua erat humanitas, cum inter nos eras, vnus esse, & videri gaudebas ex nobis. Sed enimuerò cordatis â Viris nemo magis colitur, quàm qui cultum minus exigit, cum

me-

meretur. Iam tu tibi ex nobis animi tui Moderatores, ex nobis tuæ ſapientiæ Conſultores, ex nobis familiares etiam, quorum aut conſilio, aut conſuetudine vterere, delegeras: Et, pluſculum modò viuere ſuſtinuiſſes, adiectam Quirinali Societatis noſtræ Tyrocinio, vtcumque commodam, modeſtiſſimam ſanè domum à fundamentis extruxeras, in qua opportuno, gratoque ſeceſſu frueretis, & otio, tuum vt animum ab humanis ereptum ad diuina largiùs, vberiùſque conferres. Et tu quidem olim beneuolentiæ erga nos tuæ vexillum quodammodo erexeras, vt exinde tua nos ope, auctoritate, ac vi, in rebus pro loco, ac tempore omnibus diligentiſſimè, vt feciſti ſemper, & conſtantiſſimè tuereris. Solemnem enim illam gratiarum actionem Deo à nobis inſtitutam ob primum Ordinis noſtri ſeculum cum Dei gloria, bonoque Chriſtianæ Reip. euolutum (vt alia à te data publicæ, magnificæque lætitiæ argumenta prætercam) quanto tu Templi cum primis huius, quàm eleganti, pretioſo, ac maieſtatis vndecumque pleniſſimo cum ornatu, noſtri nempe amore, & gratia celebraſti! Tanta tunc tua illa fuit excelſitas animi, largitaſque, vt non frequentiſſimum modò populum, Ciues, Patritios, Principes, Infulatos, Purpuratoſque Viros voluptate perfuderis, admiratione ſuſpenderis; ſed Patruum ipſum tuum Vrbanum VIII. ſacræ huius ædis amplitudinem ſuæ præſentiæ beatitate complentem mirificè recrearis. Nos verò ita tunc ea tui muneris magnitudine exornaſti, vt eoſdem etiam & tui copiâ, quam nobis feciſti tam vberem, & illâ amplius altiſſimâ tui demiſſione prorſus obrueris. Quid enim tunc agebas aliud,

nisi nos obruebas, cum non pretiosa dumtaxat aulæa operi, & luculentam sumptui pecuniam suppeditabas; sed Filius ingens Pōtificis Maximi Fratris, tuæ propemodum dignitatis oblitus, illâ tunc certè ad tempus depositâ, gaudebas festarijs interesse succinctus; tuam illam excelsam manum ministerio admouebas; peristromatis locum vbique, & ordinem aptissimè designabas; ex attalicis vestibus, aureisque textilibus integris decidi segmenta ad supplendas vacantium parietum lacunas, profusa largitate iubebas: tanta interim tui animi magnitudine, atque alacritate, vt quasi gratiam acciperes ipse, quam dabas, parum abfuerit, quin, quos tu nobis non libenter modò, sed & cupidè commodaras tam immensi sumptus ornatus, nolles à nobis vltra recipere.

O dulcem sanè lætamque memoriam, sed quam hæc ipsa nunc huiusce Templi imago tam illi cum horrore dispar, & luctu, acerbat scilicet, ac funestat! Cerei profectò plurimi fluxere tunc in lacrymas, & nunc fluunt; sed illos tunc gaudium iubebat flere, nunc dolor. Aream hanc, & hanc auram concentus impleuere tunc, & nunc implent; sed quanta tunc voluptas in animos insinuabat se se per aures, tantus nunc mœror per melos lamentabile, atque in suspensa ipsa suauitate perasperum corda intus nimis altè contristat. Cuiuscumque tunc ordinis homines, sacri, profani, summi, medij, atque imi, cœtu in hoc Templo densissimo, explicatis frontibus hilare quoddam iubar inclusum pectoribus testabantur; at nunc atratæ vndique vestes, ac furuæ, hoc est eorum, qui hìc intersunt sensibus concolores, quàm densam, tetramque per

ocu-

oculos mentibus mœſtitiæ noctem impingunt! Nimirum veluti tunc iucundiſſimum peruagatæ lætitiæ diem, Solis inſtar tuo aſpectu efficiebas, Antoni; ita nunc poſt te denatum, ereptumque nobis, vmbræ modò relictæ ſunt noſtris oberrantes oculis gemituum, & querelarum.

Occubuiſti, Antoni; qualem te Moles illa cenotaphij ab ipſa ſua maieſtate ſpirans horrorem, ſimulacris, anaglyptis, inſignibus, inſcriptionibus repræſentat, Beneficus, Magnanimus, Prudens, Pius occubuiſti. Atque, vt quæ tibi ratio viuendi fuerat, eadem eſſet, & occaſio moriendi, largitas, pietaſque, dum ad eleemoſynam Franciſcanis tua manu deferendam breui carpento vectus ingrederis, ob aſperæ, inuiæque viæ difficultatem pedibus diù incedere, & in Sole coactus, noxio ab æſtu eam hauſiſti tabem, quæ mox lethali vi in ſtupentia membra defluxit. Verùm non te tamen eum in modum ſtupor ille corripuit, vt ad noxiarum repetitam ſæpiùs abſolutionem ſenſilia ſemper Confeſſario ſigna non dederis: tunc verò maximè cum ad nuntium miſſæ tibi à Clemente X. benedictionis excitus, Crucem pendere tibi conſuetam è pectore tua vltro manu ſumptam ori primùm ad oſculum admouiſti; mox ad ſalutis inducendum tibi ſignum adhibuiſti; quo petitâ rurſum, acceptâque veniâ, & abſolutione culparum, oleoque mox ſacro inunctus, non multò poſt, pridie nonas Auguſti, quarta ferè poſt mediam noctem hora, Deo Cæloque cum æterna, vti ſpes eſt, ſalute tuum illum magnum verè ſpiritum reddidiſti. Luctus inde pro te nobis adempto quàm multi fuere, quàm celebres!

bres! Cui enim æqualium tuorum, aut maiorum, etiam Principum, quantum nos vidimus, meminimusue, toties, tot in locis comploratio contigit, tanta cum pompa funeris, cenotaphijsque longe nobilibus, ac sumptuosis, tam frequenti, excelsaque cum Præsulum, ac Purpuratorum corona luculenter, ac splendidè instituta? Argumento sanè ingentis erga te omnium reuerentiæ, & amoris; quibus etiam tui tantum desiderium reliquisti, vt, quanquam tribus annis sexagenarium prætereuectus, non vsquequaque immaturus occubuisse sis visus, cum tamen tua illa beneficentia semper vigens, ac florens rugas, seniumque nesciret, Nestoreos licet annos nobiscum exegisses, tuus adhuc decessus fuisset & tunc, vti nunc est, omnibus peracerbus. Dolendus enim semper hinc abit, quocum abeunte multorum bona discedunt. Nec vlli mortalium vitæ perennitas ex animo magis optatur, quàm ex quo in alios manare nunquam desinunt fontes & flumina gratiarum. An verò sine hoc sensu infixi sub pectus altè doloris hæc ipsa dici, audirique nunc possunt? aut siccis oculis hæc pompa funeris, illa moles aspicitur, ab inclytis, atque immortalitate dignissimis cõsanguineis tuis Barberinis, non tuarum minus virtutum, quàm fortunarum hæredibus in hoc Societatis nostræ Templo ideò excitata, quòd, etsi per illum morbi stuporem tuam testari voluntatem tibi nõ licuit, cum tua tamen erga nos voluntas & ipsis,& omnibus testata iam esset, solemnioribus lacrymis hìc voluere tibi exequias celebrari, vbi eas intelligerent, pro communi erga te, intimaque nostrum

omnium caritate, fore magis vberes, & amantes. Et nos quidem plura singuli pro te Deo in Societate vniuersa piacularia sacra detulimus; iustè quidem, & cupidè; pro Principe nimirum nostri amantissimo, deque nobis optimè semper merito: sed id etiam ab eo iussi Ordinis nostri Moderatore summo, quem tu æstimator sapientissimus tanti cum faceres, amorem æstimationi parem adiungens, eundem tibi significationibus animi tui plurimis, maximisque iugiter, arctissimèque deuinxeras.

Quod superest, id tibi sanctè pollicemur omnes, tam caram iucundamque tui memoriam nullo vnquam tempore nostris ex animis deletum iri. Ea verò sic manebit non qualem tu destinabas marmore insculptam sepulcrali relinquere; in quo interiore tuum sine titulis nudum nomen, ANTONIVS BARBERINVS, in exteriore verò hanc vnicam vocem, PECCATOR, volebas incidi; sed qualem nostris tu mentibus, cordibusque, immortalibus ingentibusque tuis meritis impressisti. Cum enim & indole, dotibusque naturæ, & laudabili cum primis nobilique ad aliorum præsidia, commoda, ornamenta cum priuata, tum publica contemptu opum, ac vitæ illum te, qui eras, cumulatè præstiteris, Magnum nempe Principem, Antistitem, Purpuratum, quid effecisti aliud, nisi memoriam tui omnibus plenam amoris, laudis, admirationis, gloriæ reliquisti? Dum igitur fuisse te dicimus, vno verbo nostrum exponimus dolorem simul, & gaudium: dolorem, quòd nobiscum esse desieris; gaudium, quòd nobiscum aliquando tu

fue-

fueris. Vt enim, te ſublato, ingentis boni iactura acerbiſſimo ictu pectus altè conuulnerat, ita permagni eſt etiam leuamenti, atque ſolatij, tantum à te optimi, & auxilij prębitum coęuis eſſe dum eras, & exempli relictum fuiſſe poſteris, quòd fuiſti.

F I N I S.

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij M. DC. LXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.